



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**[De Natvrali Ex Vngvivm Inspectione Praefagio comment.]**

**Baldi, Camillo**

**[Bononiae], 1629**

Quid sit vnguis. [Cap. I.]

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13286**

*Quid sit Vnguis . . . Cap. I.*

**V**nguis vox est plures habens significationes. Nam & lapillus quidam preciosus, qui etiam onix, vocatur vnguis; est etiam morbus quidam oculum infestans, & pars extrema foliorum rose, & testarum quarundam operimenta, & instrumenta nonnulla vngues, & forte alia quaedam, vocantur. Verum magis proprie vox haec capta significat partem duram, & pene insensibilem in extremitatibus digitorum hominis positam; Nam brutorum extremitates non vngues, sed vngulae appellari solent. Non tamen vnguis est extremitas digiti, sed in extremitatis parte superiori positus; Non est cutis, aut carnis digiti particula, quoniam caro propter nervos, & membranas ad nexas, & commixtas & cutis maxime sensitiua est, at vnguis sensus in parte extrema vel nullus, vel est valde parvus, & obtusus; vivit tamen quodammodo, crescit, quare & natura nutritur; Videtur autem spectanti motum localem digitorum, vnguem esse extremum tendinis extra carnem, & cutem porrecti, cuius duae partes una interior vivens, & sensum habens, altera calore, & sensu priuata, & haec exterior est; Et quoniam ex quibus sunt tendines ex iisdem erunt & vngues, constantque tendines ex nervis, & ligamentis, illi a cerebro originem ducunt ista ab ossibus, haec ergo vnguivum erunt principia quaedam, & quoniam orta naturam suorum principiorum testantur, ex vnguibus nonnulla de cerebro, & ossibus significabuntur, fiunt a natura per internum calorem remissum, & externum frigus, quare frigidi, & sicci existunt, ergo & duri, & quoniam sunt a natura, alicuius gratia facti sunt, natura enim est agens propter finem; Non ergo sunt pura excrementa, sed ad robur digitorum, & ut melius suam faciant operationem, & parvas res facilius apprehendere possint, vngues homini sunt dati; Ergo vnguis erit ultima tendinis movetis digitos extremitas, extra carnem, & cutim aeri

expo-

DE VNGVIVM PRAESAGIIS. 3

exposita, ad firmandas, & perficiendas digitorum operationes magnopere utilis. Qui dicitur sit vnguis, ex quibus & à quibus, & cuius gratia sit à natura constitutus ex his est satis manifestum.

*Vnguium species, & differentia. Cap. I I.*

**V**Ngues humani alij pedum, alij manuum sūt, qui sūt in pedibus, quamuis & ipsi suam habeant significationem, attamen quoniam apud probos, & ciuiles viros raro spectantur, neque enim inter diu ingenui sine caligis, & calceis gradiuntur, de vnguibus pedum non erit sermo, sed tantū de his qui sūt in manibus. Differunt inter se humani vngues, substantia, quātitate, qualitate, loco, actione, & passione; substantiam voco, ex Medicorum sententia, duritiem, mollitiem raritatem densitatem, item leuorem, & asperitatem, & cæteras qualitates secundas, quas cognoscit sensus tactus; secundum quantitatem vngues, vel magni, vel parui sūt, continui, vel disiuncti, & fissi, atque id vel natura, vel arte etiam, vel demum casu, item vel magni sūt, vel parui secundum latitudinem, vel secundum longitudinem, vel demum secundum omnem dimensionem: At qualitas multiplex est namq; habent habitum, vel potentiam ad scalpendum, ad secandum; ad stringendum quæ capiunt, & interditorum vngues hi magis, illi minus hac potestate insigniti sūt, longe enim ad actionem paratiores sūt vngues manus dextræ, quam sinistra; & pollicis, aut indicis, quam reliquorum digitorum. Qualitates vnguium præter sensum tactus, iudicat etiam visus; & quidem secundum rotum vnguem, cū alios albos, alios purpureos iudicat, alios demum pallidos, & liuidos, & ad nigredinem accedentes; Et secundum partem etiam de his determinat, dum hos vngues videt puros, alios vero canaliculis plenos, & quasi striatos; & quosdam alios maculis distinctos, colore, radijs, locis inter se longe differentes, secundum colorem enim alij